



Literae ordinum Belgii ad principes electores caeterosque commissarios Caesareae Majestatis, Coloniam paci conciliandae delegatos

<https://hdl.handle.net/1874/8960>

LITERAE

ORDINVM BELGII

AD PRINCIPES ELECTORES

cæterosque Commissarios Cæsareæ

Maiestatis, Coloniam paci conciliandæ delegatos.

14
UB 81



ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini,

M. D. LXXIX.

LITERÆ ORDINVM BELGII
AD PRINCIPES ELECTORES
ceterosq. Commissarios Cesareæ Maiestatis Colo-
niæ paci conciliandæ delegatos.

Reuerendissimi, Illust^{mi}, Generosi, Nobiles, Prudentes & Circumspecti;



X V O D ad litteras Celsit. &
dignit. vestrarum nōdum
responderimus; non no-
stra culpa, negligentia aut
cessatione accidit, sed quia
propter magnitudinē ne-
gotij & prouinciarum di-
uersitateim hactenus neq.

de formula certi mandati prioribus litteris re-
quisiti, neque in approbationem, cōtradicō-
tionem aut moderationem propositorum articu-
lorum (de quibus posterioribus litteris Celsit.
& dignit. vestrarum agitur) conuenire potui-
mus. Etenim quod ad mādatum attinet, natu-
ra rei principalis talis est, vt antecēdētem par-
tium disceptationem, & communicationem
exigat: nec limitibūs seu formula certi mandati
ab initio circumscribi aut cōcludi potuit, & li-
berum atque absolutum mandatum in re tam
graui Deputati destinati Coloniam propter ni-
mium

mium onus atque periculum detrectassent ac-
cipere ; vt etiam in talibus prouinciarum cau-
sis inter horrida bella summam rerum absque
præparatione & referendi necessitate particula-
ribus cōmitti nec ratio nec consuetudo patitur.
Cumq[ue] articuli à vestris Celsit. & dignit. trās-
missi omnes ditiones ex æquo respiciant, primo
quoque tēpore eos omnibus & singulis com-
municauimus , vt, singulorum arbitrio & vo-
luntate intellecta, communi consensu de com-
muni causa statueretur; atq[ue] tam Duci de Terra
noua delegato Maiestatis Catholicæ quām ve-
stris Celsit. & dignit. aliquid certi respondere-
tur. Et quamuis Princeps Parmensis , & pleri-
que alij in contemptum auctoritatis Cæsareæ
& vestri celeberrimi conuentus non desisterint
per particulares cōuentiones moliri distractio-
nem Prouinciarum, atque subditos maioribus
exagitare dissensionibus (quæ nobis non leuem
malè suspicandi causam & occasionem capie-
di alia consilia præbuerunt:) Nihilominus ta-
men desiderio atque enixo studio sinceræ pacis
quo tenemur , à constatia promouendi cōmu-
nem tranquillitatem publico fœdere non desle-
ximus , continuò instando vrgendoq[ue] apud
Prouincias, vt super dictis articulis quā celer-
rimè deliberarēt atque intentionē suam signifi-
carēt, ita vt in nobis nulla mora sit, sed rei pon-
dus, multitudo prouinciarū , naturalis opinio-

num varietas & cōtraria maleuolorum homi-
num studia tarditatem inuexerint , quam ve-
stras Celsit. & dignit. re penitus inspecta, & ob
causas supradictas , non iniquo animo laturas
confidimus . Interim verò ex animo agnoscim-
us & perpetua gratitudinis memoria celebra-
mus benignum atque paternum affectum Cæs.
Maiestatis erga has calamitosas ditiones , & ve-
strarum Celsit. & dignit. in pacandis illis præ-
claram diligentiam , studium atque laborem ;
tametsi res malo quodam fato nondum in eum
statum perducta sit quem ratio temporum &
rerum postulat . Maius enim (vt veremur) est
malum & altioribus radicibus Prouinciarum
corporibus infixum , quām vt remedia in di-
ctis articulis comprehensa curationi sufficient,
nisi regia Maiestas effuso benignitatis sinu di-
gnetur maiorem in subditos suos exercere li-
beralitatem , & haec tenus angustis emanantia
venis , longiore progressu in magnos amnes
extendere . Nam vt cum bona venia vestrarum
Celsit. & dignitat. & sine præiudicio Pro-
uinciarum è multis pauca attingamus , si iuxta
nonum articulū omnes haec tenus absentes vel
amoti ab officiis pristinum ordinem , statum
ac dignitatem recuperent atque auctoritatem
imperiumque consequantur ; quid reliquis ex-
pectandum est? quām cum summa omnium re-
rū perturbatione vincula, proscriptiones, exilia

& cæ-

& cædes ! patefacta via Hispanis odio ditionum
ad hoc flagratis recuperandi eas quandocumq.
voluerint, administrantib. rem pub. eorum amicis,
sociis & cofoederatis, qui eorum beneficio resti-
tuti patriæ & dignitati pristinæ, sine illis arbitra-
buntur vitam sibi non satis securam fore. Et
huius periculi procliviorem occasionē reddunt,
separata & particularia cum Hannoniensibus &
Artesiensibus in propriam eorum perniciem ac
præiudicium vicinarum prouinciarum subtili-
ter excogitata fœdera, & ad Hispanorum, si for-
tè (vt Græci à Troia) simulatè abire incipient,
voluntatem & obsequium conscribendi exerci-
tus obligationes : necnon 16. & 17. articulorum
decreta de tradendis illicò omnibus ciuitatibus,
fortalitiis, armis & munitionibus Gubernatori
generali ex arbitrio regis Catholici designando.
Quod superioribus annis in conuentu Bredensi
soli Hollandi Zelandique recusarunt, & in fœ-
dere Gandensi exprestè pro securitate sua con-
trarium stipulati sunt, & conuenerunt, ita vt per
articulum illum 17. contra pacem Gaudensem
Principi Auraico prærogativa gubernationis
adimatur, & Hollâdis Zelandisque ac Bomme-
lenibus eorum confœderatis imperetur ciuita-
tum, castrorum & munitionum (in quibus se-
curitatem suam habent positam) restitutio ; &
insuper denegetur omnibus prouinciis in vni-
uersum ea securitas, sine qua Hollandi Zelandi-

que soli cum vicinis reconciliari noluerunt, &
qua sublata prouinciales fragilitate solius iura-
menti muniti, se inimicis recenter reconciliatis
comitterent, quod humana fugit ratio & natura
abhorret. Etenim compertum est quam parua
in regnum & principatum causis iuris iuran-
di plerumq. habeatur ratio, & quam faciles sint
dispensationes & absolutiones Pontificiae, ma-
xime si maiestas imperij imminuta dicatur, aut
in iustitia federis cum rebellibus subditis initi-
allegetur, aut color extirpandarum haeresum
prætedatur; cuius occasione ante annos aliquot
vidimus Galliam pacata miserabili strage subi-
to conturbari, & cadaveribus occisorum repleri.
Et quamvis editio perpetuo publicato domi-
nus Ioannes Austriacus pacem Gandensem con-
firmauerat, quid per secretas molitiones occu-
pandorum castrorum & fortalitorum, necnon
per clandestina consilia cum ducibus Germano-
rum militum conatus est? nisi pacem illam Gan-
densem abrumpere, & neglectis pactis publicis
liberum dominatum per omnes prouincias ac-
quirere? In quem finem etiam nunc spectare vi-
detur freques & per multos articulos cum pace
Gandensi coniuncta commemoratio d*icit* Edicti
perpetui, quod ab Hollandis Zelandisq. ab initio
constantiter aperteq. repudiatum est, ab aliis
sine magna discussione incaute admissum fuit;
vnde causa omnium calamitatum nostrarum

processit

processit, & fax sequentium bellorū accensa fuit
propter generalem & simplicem promissionem
& obligationem de conseruanda religione ca-
tholica Romana , quæ illi edicto inserta fuit, &
in vim cuius Ioannes Austriacus mox ab initio
Ordines ad arma sumenda religionis ergò im-
pellere tentauit, & ipse Rex superstruendo (cùm
omnes Ordines Baroni de Selle commissario
Maiestatis suæ se offerrent paratos secundū ter-
minos pacis Gandensis, & religionis obseruan-
tiā & obedientiam superioritatis exhibere) pa-
cem illam Gandensem tanquam infamem &
scandalis obnoxiam reiecit atq. improbabuit, re-
ductisq. Hispanis alijsque exteris crudelissimum
bellum redintegravit, vt absolutum imperium
& religionis obseruantiam, qualis tempore Ca-
roli Quinti Imperatoris fuerat , restauraret : vt
res ipsa ostendit, & euidentius constat ex cōmu-
nicatione cū dicto Barone de Selle habita, eiusq.
instructione & litteris regiis per eum allatis, que
cum litteris Ioannis Austriaci publicè impressæ
in omnium manibus versantur . Vnde prouin-
ciales animaduertētes possessionem & vsum pa-
cis Gandensis à Rege denegari , & aperto bello
atque incitatis dissidiis intestinis hoc agi, vt qui
à Romana religione declinauerant , & ad vete-
rem morem ritumque fidei qui tempore Caroli
Quinti fuerat, regredi nollent, vel expellerentur,
vel opprimerentur, derelictis cancellis dictę pacis
quam

quam retinere non licebat; in tantas turbas re-
ciderunt, ut ad euitandam totius reipub. subuer-
sionem necesse fuerit vterius procedere, & pri-
mo per litteras mutuae securitatis, deinde per
concordiam religionis aliq. pacta ciuium tran-
quillitati prospicere. Ob quod magno odio di-
gni sunt & detestabiles, qui prouinciales aut
Ordines inconstatae, & quodammodo periurij
culpant, quod admissio exercitio alterius reli-
gionis, intra terminos dictae pacis Gandensis no
constiterint. Cum Rex, regi duces & consilia-
rij, praetextu dicti edicti perpetui, & quarundam
litterarum, de quibus mox dicetur, prius pacem
illam tanquam infamem reiecerint, atque usum
illius armis adimere, omniaque ad acerbitatem
veteris inquisitionis reuocare tentauerint. Sic ut
Ordinibus aut prouincialibus (etiam cum ma-
xime vellent & optarent, cum quiete & tutela
ecclesiasticorum) non licuerit dictae pacis con-
ditionibus adhaerere, & vteriora incommoda
atque inconuenientia que acciderunt, declinare
propter contraria Regiorum ducum atq. mili-
tum studia, adeo ut praeter liberum arbitrium
prouincialium in mutando pacem illam quam
inter se contraxerant, regis catholici seueritas,
necessitas reipub. & declinatio imminentium
periculorum, que ex illato bello & incitatis sub-
ditorum dissidiis metuebatur, mutationem in-
duxerint: quod meritò ad excusationem Ordin-
num

num valere debet. Nihil enim imputatur ei quē
impedit potentior, aut cui noua causa superue-
nit, aut quoties publica necessitas ad euitandas
ciuiles diffensiones, & declinanda hostilis exer-
citus pericula, mutationem exigit. Nam reipub.
quieti omnes leges attemperādæ sunt, omnēsq.
dispositiones & contendentes intelliguntur re-
bus sic stantibus, & in eodē statu manentibus.
Illi enim solum fidem fallunt, & inconstantia
crimen cōtrahunt qui, cūm eadē maneant quæ
erant tempore fidei datae, non præstāt id de quo
actum est, non etiam si mutatio superuenerit,
aut aliquid inciderit quod impedit, maximē si
(vt est in proposito) causa mutationis & impe-
dimēti ab eo cum quo agitur processerit, & præ-
sens periculum tumultuū (quod ex reuocatione
illa pacis Gandensis regij sperabant certissimū)
immineat. Ex quibus causis etiā diluitur quod
de literis Ordinum ad regem scriptis adducitur.
Nam si forte olim ante pacem Gandensem par-
ticulares Ordines regi catholico per litteras ob-
tulerint religionis statum tēpore Caroli Quinti
vigentem, id vniuersitati prouinciarū non præ-
iudicat, & sequens pacis Gandensis interpositio
atq. omnium rerum mutatio efficit, ne subdit
tam ingentibus malis circumuenti, tot bellis
aliisq. casibus vexati, nūc ex interuallo angustiis
taliū litterarum, quarum executionem & ob-
seruationem temporis ratio prorsus constituit

b impos-

impossibile, coarctari possint aut debeant. Post
vero pacem Gandensem quicquid pretendatur in
contrarium, non putamus aliquas repetiri litteras
communi Ordinum consensu scriptas, quæ
recte expensæ terminos dictæ pacis Gandensis
egrediantur, ut per Iustificationem Ordinum
aduersus assertionem Ioannis Austriaci, publicis
monumentis clarissimè demonstratum est.
Quinetiam si Deputati Ordinum post pacem
Gandensem liberalius aut Imperatori aut Regi
scripsissent, per hoc tamen non subuerteretur
publicum fœdus Gandense, absq. speciali con-
sensu singularum prouinciarum, à quibus illud
solemniter probatum & acceptatū fuit, nec im-
pedirentur Ordines post atrox bellū sibi à rege
illatum, & diu continuatum, tumultusque inde
secutos, à prioribus consiliis discedere, atque ad
alia configere, quæ necessitati vel utilitati reip.
conueniunt, & ad ciuium concordiam retinen-
dam requiruntur, vti anno iā elapso, & amplius,
metu instantis mutationis, apud Cæsarem pro-
testati sumus in solemni illa & per Ordinum
concordiam approbata responsione, quam Ma^g
suæ Imp^{ri} transmisimus per aulicum suum con-
filiarium Baronem in Stubing, cuius exem-
plum his adiunximus, & quæ in tanta rerū mu-
tatione præponderare debet antecedētibus epi-
stolis, quarum causa in hoc rerum statu varia-
tionem accepit. Et cùm regia Maiestas adeò fixo
iudi-

iudicio pacem Gandensem semel improbaue-
rit, & tantis bellorū sumptibus hactenus eradi-
care tentauerit, iustam dubitationem habemus
de blandimentis, quæ specie dictæ pacis nobili-
tati & populo fiunt; verentes, ne inter tot stipa-
ta exterorum agmina hoc solùm agatur, vt per
captionem populi incitatis maioribus dissen-
sionibus insidiæ ex æquo parentur omnibus.
Nam si rex pacem illam rebus prouinciarum
meliori loco constitutis improbabuit; quis cre-
det post tot calamitates ditionib. illatas & tan-
tos belli sumptus factos, regem ex animo pa-
cem illam Gandensem nunc ex interuallo pro-
babilem iudicare & subditis seriò offerre? Et
contraria argumenta manifestè suppeditant di-
ctorum articulorum inuoluta conceptio & di-
ctæ pacis derogatio non solùm circa auctorita-
tem Principis Auraici & securitatem Hollan-
dorum & Zelandorum, verumetiam per edicti
perpetui accumulatam obseruationē & expref-
sam præscriptionē, quæ duobus articulis de re-
ligione cōceptis inseritur, per quam subditi re-
liquarum ditionum, non obscurè angustioribus
vinculis quam priorum pactorum concludun-
tur coarctanturque omnes secundum præten-
sam edicti perpetui obligationem ad professio-
nem & usum fidei Romanæ, vt ostendit effusa
dispositio dictorum articulorum & sequens ex-
ceptio qua pax Gandensis respectu religionis ad

folos Hollandos, Zelandosque, ac Bommelen-
ses restringitur. Et quamquam sequenti articu-
lo, praetextu benignitatis, alij qui à fide illa re-
cesserunt, tolerentur; id tamē cum ea restri<io-
ne indulgetur, vt solum securitate in habeat ad-
uersus rigorem regiorum placitorum, & si ex
ditionibus discedant, bonorum suorum curam
Catholicis administratoribus relinquere, & re-
uertentes Catholicè vivere, & curatis ecclesia-
rum & magistratibus locorum de ea re fidem
facere cogantur: quod paci Ganderisi prorsus est
contrarium; secundum quam liberum est omnibus
absque adstrictione & professione vnius
vel alterius religionis venire, morari, cōuersa-
ri, recedere & reuerti, & cōmittere administra-
tionem rerum suarum cuilibet pro arbitrio. Ita
vt verbis ad augendum intestina dissidia vulgo
speciosa fiat pacis Ganderisis ostentatio, re ve-
ra autem in totum beneficium illius subuertar-
tur; reuocatis omnibus ad veterem morem, se-
cundum quem vigebat aduersus quoslibet in-
quisitiones, excommunications, aggrauatio-
nes, reaggrauationes, brachij secularis inuoca-
tiones & similia, quæ rebus atque temporibus
accommodari non possunt sine immortalibus
prouinciarum ac ciuitatum inimiciis, sine se-
ditionibus, & cædibus ciuium & euidenti re-
liquiarum religionis & auctoritatis discrimine.
Ex quibus perspicue intelligut Celsit. & dignit.

vestræ

vestræ subitaneam illam rerum mutationem Ordinibus nimium esse periculosam, ac proinde necessitatem reipub. maiorem quandam dictorum articulorum moderationem exigere , lôgè ultra terminos pacis Gandensis, ne exemplo superiorum temporum non multò postea eisdem vel maioribus agitemur tumultibus , aut cum summo insidiarum periculo moram dumtaxat aliquā his malis producamus . Et, vt ad alia veniamus, omnes vident quantis ambagibus involuatur , & in quā longum tempus differatur innocentis Comitis Burani restitutio ac liberatio ; videlicet donec Princeps Auraicus adimpleuerit ea de quibus cum eo transigetur per singularem capitulationem,ad quā propter fidem datam vniuersitati prouinciarum & post expirationem termini communicationi præstuti , compertum est Excellentiam suam non posse descendere, quemadmodum intelligimus ipsam vestris Celsit. & dignit. per litteras respōdisse: vnde quantum periculi ex dictis articulis & patri & filio non sine grauissima prouinciarum omniū perturbatione immineat, facile est discernere. Illud quoque animaduersionem desiderat, nullam neque pro regina Angliæ, Duce Allenchonio aliisque cōfederatis, imò nec pro ipso Archiduce Matthia, idoneam capitulationem illis articulis contineri . Denique gesta decretaque ipsius Archiducis, & Ordinū in quā

fragilibus relinquuntur fundamētis, inuolucra exceptionum additarū ostendunt. Quæ omnia representanda atq. oculis subiicienda duximus, vt Celsit. & Dignit. vestræ causas malorum nostrorum proprius intuerentur, intelligerentq. nec leues nec improbabiles difficultates circa dictos articulos incidere, præsertim in ista summa animorum exasperatione & diffidentia, diuersitate capitulationum Principis Parmensis, Ducisq. de Terra noua, atque dubitatione & incertitudine omnium rerum. Et dum secundū promissa Parmensis, Hannoniensibus atq. Artesiensibus facta, exercitus Hispanorum intra terminū præstitutum non decesserit, & in prædictis articulis de tempore quo abire debeat, nihil determinatè conuenerit; multiq. non iniustè & ex indiciis non obscuris suspicentur illorum propositum ac institutū esse, ditiones istas nō derelinquere, quodque omnia per simulationem fiant, vt lenocinio pacis, subditorum animis erectis, maiores turbas ac seditiones concitent, atque ita viam parent procedendi ad prouinciarum penetralia cum miserabili omnium seruitute & oppressione. Cumq. in mora sit periculum, nec ita celeriter vt rerum status postulat suffragia prouinciarum obtineri & conciliari possint, præclarissimum & vniuersæ reipublicæ Christianæ utilissimum studium esset, si Cæs. Maiestas, & Celsit. & dignit. vestræ auctori-
tatem

tatem suam interponerent, & ex officio propositis idoneis atque efficacibus remediis aduersus incommoda superius relata aliaque illis similia, Regem Hispaniarum aut Ducem de Terra-noua eius commissarium induceret ad conditiones æquiores, securiores & statui praesentis reipub. magis conuenientes, & tales quæ in vniuerso profint omnibus, & quas reuera tabulas pacificatorias appellare & æternitati cum omnium securitate consecrare liceat. In quo si, quemadmodum confidimus, Celsit. ac Dignit. vestre apud regem operam diligentiamque impenderint, laudem consequentur apud omnes homines immortale, & Ordines ac prouincias perpetuo obsequendi studio arctioribus vinculis sibi adstringent. Nos interim non cessabimus prouinciarum vota suffragiaque requirere, ac per primā oportunitatem transmittere. Deus pacis auctor Celsit. ac Dignit. vestras in inchoata pace perficienda confirmet, & in felicitate diutissimè conseruet incolumes. Ex Antuerpiâ x. Septembris, m. d. lxxix.

Subscriptio:

Celsitud. & dignit.

vestrarum

Deditissimi Ordines Belgij.

Ad mandatum supradictorum

Ordinum, & signatum

Houfflin.

Superscriptio:

*Reuerendissimis, Illustriſsimis, Generofis,
Nobilibus, Prudentibus & Circumſpe-
ctis Dominis Electoribus & Principibus
Sacri Imperij, necnon Legatis & Com-
missariis sacra Caſarea Maiestatis,*

Coloniæ.

folio 14

RESPONSV M ORDINVM
BELGIJ, AD LITERAS DVCIS
DE TERRA NOVA.

MONSEIGNEVR: Nous auons re-
ceu les lettres de vostre Excellence,
en date du 5^e. du mois d'Aoust der-
nier, accopaignees d'icelles des Sei-
gneurs, Princes Electeurs & Commissaires de
la Maiesté Imperiale, par lesquelles vostre Ex-
cellence avec lesdits S^{rs} Princes nous enhortent
de receuoir & embrasser les articles de paix en-
uyez pardeça; & eussions bien voulu plustost
respodre tant à vostre Ex^e que audit^s Seigneurs
Princes: mais pour ce qu'il conuenoit pour le
poix & importance de l'affaire le tout commu-
nicquer aux Prouinces particulières, pour en-
tendre leur aduis, & intētion; n'auons peu pré-
dre finale resolution à cause que par la diuersité
des prouinces, & multitude des opinions, ledict
aduis s'est retardé, de sorte que l'attendons en-
cores; & si tost que l'aurons receu, ne differerons
de nous acquiter & respondre, comme pour le
plusgrand honneur de sa Maiesté, bien & repos
de ces païs appertiédra: Vueillants neantmoins
ce pendant bien franchement aduertir, que les
menees du Prince de Parme & autres trames
particulières causent plusgrande diffidence, &
trauerfent & empeschent beaucoup la determi-

c nation

nation & vtilité publicque. Et cōbien que nous confions que vostre Ex^e, & lesdits S^{rs} Princes ont procedé & procedent de bōne foy, & d'vne entiere affection vers sa Maiesté & ces pays tant affligez; toutesfois craindōs que par lesdits articles en la forme cōme ilz sont couchez, le mal de si long temps enraciné ne se pourra remedier, par vne sincere recōciliation desdites prouvinces avec sa Maiesté, tant à cause de l'impossibilité de praticquer & mettre en execution aucun d'icelz sans plus grande dissensiō intestine & massacre des subiectz, q̄ de plusieurs restrictions & obscuritez trouuées ausdicts articles: & dauantage pour la differēce des traictés de vostre Ex^e, & du Prince de Parme, avec autres raisons dont escriuons plus amplement ausdicts Seigneurs Princes: assurant q̄ ne desirons autre chose que de recognoistre nostre Seigneur & Prince, & mestre noz personnes, femmes, enfans & biens en repos & tranquillité; moyennāt qu'icelle soit ferme, durable & assurée par vne capitulation plus claire & remplie d'vne telle benevolence, & rondeur qui puisse par effect oster toute diffidence dont procede tout le mal-entendu qu'est entre sa Maiesté & ses subiectz. Et comme les vltérieurs dilays sont fort dangereux, & qu'il est à craindre que en ceste conioincture il passera encors quelque temps devant que les particulières prouvinces se resoudrōt & accorderōt leur aduis;

aduis: A ceste occasion & pour autres pregnâtes
raisons nous prions qu'il plaise à vostre Ex^e en
vertu de son pouuoir avec assistéce & aduis des-
dicts Seigneurs Princes , s'en eslargir plus auant
& moderer lesdicts articles, par poinctz & con-
ditions vrayement royales , & plus equitables &
practicquables mesmes aux quartiers où à l'oc-
cation des troubles, dilais & longueurs les affai-
res sont forscourrues si auât qu'il est impossible
de les redresser en vn temps par capitulation ou
par force : Y adioustant que si lesdits dilais, tra-
mes & traiâez particuliers se continuët, crain-
dons que ladite diffidence s'augmentera, & que
sa Maiesté en receura plusgrâd dommaige que
proufit, lequel aucunz pensent cueillir des diui-
sions & traîitez susdits . Declarât que s'il plait à
sa Maiesté rescôtrer ses subiectz par effect d'vne
vraye clemence & pleine mesure par remedes
conuenables, felon la grâdeur de la playe, nous
nous acquieterons en toute equité & obeissance
auecq vn tel amour & affection dont icelle se
pourra assurer à iamais. Surce &c.

Arresté le xij^{me} de Septembre 1579.

Present

A. Blyleusen.

RESPONSI O ORDI-
N V M G E N E R A L I V M
GERMANIAE INFERIORIS:
*ad propositionem illustris Domini Seyfridi Prey-
ner, Baronis in Stubinck, & aulici Cæsareae
Maiestatis Consiliarij & Legati.*



Rælati, Nobiles, ac Prouinciarum, ciuitatimque Germaniae Inferioris Delegati, qui vniuersos Ordines representant, immortales sacrae Cæsareae Maiestatis summa cum animi submissione atque obseruantia agunt gratias, quod post violatas à Ioanne Austriaco pacis conditiones secundò legationem huc destinare, & illustrem Dominum Seyfridum Preyner Baronem in Stubinc, & aulicum Maiestatis suæ consiliarium, legatum à se mittere dignata sit, qui pro officio & candore suo studioque quo has ditiones prosequitur, singularem benevolentiam & amorem sacrae Cæsareae Maiestatis erga istas Inferioris Germaniae prouincias, nec non sinceritatem, curam, & sollicitudinem pro salute & tranquillitate ipsarum ditionum à Maiestate sua exhibitā, cum luculenta beneficiorum (quæ nulla vel temporis diuturnitate vel calamitatum magnitudine obliterabuntur) commemoratione clarissimè exposuit.

Et cùm omnia amplissima sint quæ sua Cæsarea Maiestas pro salute harum Prouinciarum procurauit, tum illud etiam maximi ponderis & præcipui momenti existimant, quod sua Maiestas Hispaniarum regem cohortata est, ut suæ Maiestati rem omnem permitteret,

mitteret, & ab armorum consilio desisteret. Deinde quod sacri Imperij Principes Electores admonuerit, ut in personis propriis in conuentu Wormaciensi conuenirent, & per seipso deliberarent de rationibus quibus tandem haec Provinciae in pristinum statum restitui possent, & quid de postulatis utriusque partis constitendum foret.

Quod vero ad praeteritas oblationes attinet, recordantur Ordines atque in recenti memoria habent tenorem literarum & scriptorum quibus ut Regi Catholico reconciliarentur, ut certain formam reipublicae ac Religionis retinerent, ac tranquillam vitam ducerent, profecti sunt ante annos aliquot, se neque ab obedientia Maiestatis suae, neque a religione catholica Romana recessuros, quemadmodum etiam superiori anno post pacem Gandaui initam & Cæsareae & Regiae Majestati literis denuo declararunt, se in eadem obedientia ac religione, secundum terminos dictæ pacis, permansuros, si reuocato intolerabili Hispanorum aliotumq. exteroruim imperio, quiete & securè possessiones suas cum uxoribus & liberis retinere possent. Quintam post violatas ab Austriaco pacis conditiones, & bello miserabili infestati, & cum antea sæpe decepti propter insidiarum periculum ab ulteriori congressu abhorserent, ne quid intentatum relinquerent quod ad pacem fulciendam & restaurandam pertineret, Baronii de Selles Regis Catholici legato eadem quæ prius obtulerunt, addita aperta significatione & necessaria protestatione imminentium periculorum, tum in Religione, tum in dicta obedientia, si Regia Maiestas differendo pateretur subditorum dissidentiam & desperationem longius procedere. Verum Maiestas sua numquam in tempore dignata est humiles suppliationes & lacrymabiles preces suorum subditorum

admittere & exaudire. Quinimo quod est miserabilius, pro beneuolo clementique responso ab Ordinibus certissimè expedito & nouissimè à Domino de Selles constanter affirmato & promisso, iustissimas preces Ordinum reiecit, pacta transactaque Gandauensis solemniter approbata irrita fecit, & suos subditos crudelissimo bello aggressus est, remittendo auxilia militaria vnde cumque contracta, ad exequenda turbulentia ac perniciofa Ioannis Austriaci consilia.

Quo factum est, ut tanta Reipublicæ perturbatio, tantaque malorum (quæ bellum secum trahit) inundatio cum magna animorum abalienatione secura sit, ut meritò dubites an priora illa protissa & oblationes (præsertim relatione facta ad tempora Caroli quinti, quæ nunc serò à Maiestate sua virginatur) hoc periculoso tempore adimplere, vel possibile sit vel etiam expeditat. Et præterea cum Maiestas sua inita pacificationis Gandauensis pacta obseruare detrectet, non omnino mirum vileri debet, si subditi vicissim sese à vinculis dictorum pactorum respectu Regis liberatos existimét.

Et cùm per belli calamitates cura Religionis stabiliri difficulter retineatur, dolent & ingemiscunt Ordines labi opportunitatem & tempus, quo commode remedium adhiberi posset; præsertim inuale scente licentia militari & morum dissolutione, quæ ex progressu funesti belli inducitur, cuius authoribus non populo aut Ordinibus irascendum est, quibus in hanc rerum peristasi magis ciuium suorum concordiam procurare necesse est, quam contentione turandæ Religionis Hispanorum insolentiam confirmare, & trophyum contra seiplos erigere: ut in tanta animorum desperatione & infinita multitudine diuersam Religionem sequentium, vrbes eorum exagitatae seditionibus & cædibus ab exteris tandem diripiantur & euertantur.

ad cō

ad eam sui compendij cum Ordinum dispendio
studiosi sunt aduersarij, ut per Religionis abusum, Pro-
uinciarum seruitutem & calamitatem stabilire co-
nentur; & incitato Religionis dissidio, popularibus se-
ditionibus (quas per varias prodiciones moliuntur) vi-
res Ordinum debilitent atque infirment, & tandem
absque discrimine tam Catholicos, quam eos qui à
Romana Religione discesserunt, minore negotio ag-
grediantur, & opprimant; redintegrata Hispanoruni
tyrannide & intolerabili imperio, secundum perni-
ciosum consilium Secretarij Escouedij, in quo præci-
puam spem & principalem scopum actionum suarum
constituunt: Ita ut metuendum sit, ne Ordines inter
duo mala constituti cogantur qualquali remedio ci-
vium concordiam retinere potius, quam Rempub. de-
serere, & exteris instantibus vitam, vxores, liberos &
possessiones evidenti periculo exponere.

Ex quo fit perspicuum, non Ordinum culpa, sed
mora, & perniciosis consiliis, quibus Regia Maiestas
imprudenter acquiescit, omnia in deterius & quasi
ruinam collabi. Quo enim studio, qua sedulitate Or-
dines superioribus annis (cum res tempisque fere-
bant) cum Regis obedientia Religionem tartam te-
ctam conseruare conati sint, Deus inspecto animorum
nouit, & res ipsa quæ anno sexagesimo sexto gesta est
ante aduentum Albani, luculenter testatur. Quibus
autem calumniis & iniuriis improbissimorum quorun-
dam hominū, praesertim Albani & sequacium suorum
sanguinem subditorum sientium, Maiestas sua malo
quodam fato in transuersum acta, & ab omni clemen-
tia abalienata fuerit, cum doloris acerbitate recordan-
tur omnes. Vnde enim quietis & tranquillitatis reme-
dia sperabantur, inde maximæ molestiarum & turbu-
lentissimæ tempestates emanarunt.

His

His itaque consideratis, Sacra Cæsarea Maiestas facile animaduertit per Ioannem Austriacum aliosque male consulentes, Ditiones istas in maiorem confusionem recidere, atque disturbari occasionem exquendarum priorum oblationum, sublata causa ex qua factæ erant. Nam oblationes illæ factæ fuerunt cùm Ordines sperarent Rempublicam calamitatibus liberatum iri; Regem perniciosis consiliis abiectis à bello abstenturum: Ordines conuenturos ut de communi vniuersæ reipub. bono communicarent, quæ neque ad humiles preces subditorum, neque ad frequentes & serias imperialis Maiestatis aliorūmque Principum intercessiones obtineri potuerunt, culpa eorum qui improbè, temerè, imprudenter, ferociter & inhumaniter in his rebus versati sunt, & statum politicum omni modo perturbarunt: quibus propterea omnia imputanda sunt.

Quemadmodum etiam mirum videri non debet, si in hoc terum statu Subditi Regem non tam religiosè venerentur, à quo bello grauissimo Provinciæ impetrunt & maioribus cladibus afficiuntur, quamquam à maximo iniinico pertulerunt: etenim defensio iuris naturalis est, & si vasallo ob negatam iustitiam licet dominum deprædari, & inter dominum & subditum mutua sit obligatio, nullum vituperium Ordinibus ascribendum est, si post obtentam erga Principes suos fidei & constantiæ laudem male tractati, pro defensione libertatis & vitæ aduersus eum armis sumant à quo armis & bello inuaduntur:

Et cùm omnes eorum beneficiorum maximè minimisso soleant quæ in calamitatibus acceperunt, summa est occasio, qua Cæsarea Maiestas & Principes sacri Imperij benemereri poslunt de ditionibus Belgicis, & simul non minus sibi ipsis quam illis prodesset,

si mis-

si missis suppetiis militaribus afflictos Belgas vicinos
& membra sacri Imperij, aduersus exterorum vim at-
que ferociam promptè tueantur, atque illos qui infe-
riorem Germaniam oppugnant, & illustriss. Archidu-
cem Matthiam, Cæsareæ Maiestatis germanum fra-
trem illarum prouinciarum moderatissimum Guber-
natorem, cum ignominia tum ipsius, tum ipsorum
Ordinum deturbare conantur, ab armis deterreant,
tutelam atque protectionem Belgicarum ditionum
fuscipliant. quæ promptissima ratio conseruandi impe-
rij Belgici, vel Regi Catholico, vel Domui Austriacæ,
antequam deserti Ordines de exteri Principis auxiliis
certiora concludant consilia.

Quæ quidem consilia de exteri Principis auxiliis
non ignorant suis incommodis non carere, tamen
eiusmodi sunt, quæ eos præsenti calamitate & belli me-
tu possunt liberare. Quod utinam Cæsarea Maiestas,
& sacri Imperij Principes etiam fibi faciendum propo-
suissent; hoc est, prouincias Imperio confederatas, &
quarum ruina magnam Imperij partem inimicis pa-
tefaciet, præsenti auxilio confirmare potius, quam
Commissariis rem gerere. Nam etsi non dubitent
Maiestatē Cæsaream sedulò procurare ea quæ existi-
mat facere ad pacem his prouinciis restituendam; ta-
men cùm reipsa Ordines experiantur, quam parum
spei sit ponendum in rebus adeò incertis, & in volun-
tate inimicorum positis, humiliter orant suam Maie-
statem, ut ignoscat Ordinibus, quod in iis suę Maiestati-
s consilio & voluntati obsequi minus possunt; nam
cùm etiamnum incertū sit Ioannes Austriacus quan-
tum suę Maiestati tribuat, & quid de cessatione ab ar-
mis, & reliquis mandatis suę Maiestatis facturus sit,
facilè putant intelligi posse, quam non conueniens
neque consultum sit de induitiis & armorum suspen-

sione mentem & voluntatem declarare . Sed cùm ab initio Ordines semper pacificationi non insidiosæ operam dederint , & nihil aliud desiderent, quām conservata patriæ libertate in pace viuere; aperte profitentur, Ordines sese pacis tractationem minimè reijcere , sed eam summopere desiderare , quæ tot ærumnarum & calamitatū, quæ proueniunt ex bello omnium malorū lerna, promptam leuationem adferre posset. Quamobrem non potest non Ordinibus esse gratissimum, quod iterum sua Maiestas commissarios Cæsareos præcipue auctoritatis , ac neutri parti suspectos , ad sese destinaverit , quodq. pacis tractationem per Oratorem suum apud Regiam Maiestatem in Hispaniis etiamnum prosequatur , & omni maiori studio virgeat : qua in re sollicitudinem & curam, quam sua Cæsarea Maiestas suscepit, & nec intermissuram sperant, pro prouinciarum salute humiliter agnoscunt , indies magis ac magis se suæ Cæsareæ Maiestati pro tam immensis beneficiis obligatos confitentur. Id vnum postulant, vt veniam det , si nihilominus interea suæ securitati prospectum velint, ita tamen, vt iuta inclytæ Austriacæ Domus & fœdera à prouinciis cum sacro Imperio inita, quantum fieri poterit, cōseruentur: quæ sane, vt neque Regis Hispaniarum auctoritatem, si tandem ad subditorum supplicationes & preces adhibet æquas aures, nullo modo imminui patientur.

• Et cùm ex his quæ dicta sunt , & quæ legatus coram suis oculis animaduertere potuit, illustri Cæs. Maiestatis legato satis quām æquum & iustum sit desiderium Ordinum constare possit; hoc vnum petunt & rogant Ordines , vt legatus fideliter suæ Cæsareæ Maiestati exponat, quæ ad salutem & conservationem prouinciarum inferioris Germaniæ pertinebunt, & quod in eam rem operam diligenter pollicetur,

sum-

summas agunt gratias, quas referre Ordines parati
sunt, quando eorum opera vel vniuersim vel singula-
rim vti desiderabit. Datum Antuerpiæ xx*. men-
sis Iulij, M. D. LXXVIII.

Superscriptio:

Ad Sacram Casaream Maiestatem.

Sommaire du Priuilege.

*Par Acte du xxix. iour d'Auril M. D. LXXVIII.
est permis à Christophe Plantin Imprimeur de sa
Maiesté, de pouuoir imprimer tout ce qui luy sera or-
donné par Messeigneurs les Estats generaux: & deffen-
du à tous autres de faire le semblable, sur les peines
plus amplement contenues en l'Acte Original.*

Sousigné

Pottelsberghe.